

Wiener Stadt-Bibliothek.

83065 B

LAUDATIO
IN DIVAM
URSULAM

Partheno - Martyrem

Coram

ANTIQUISSIMA, ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI,

Dum

In Basilica Divi STEPHANI

Proto - Martyris

INCLYTA NATIO RHENANA
DIVÆ TUTELARI SUÆ

Cultum annum solenni ritu persolveret;

DEFERENTE

Admodum Reverendo, & Clarissimo Patre

ANTONIO WEILHAMER,

è Societate Jesu,

AA. LL. & Philosophiæ Doctore, ejusdémque
Professore Ordinario,

Nec non p. t.

INCLYTÆ NATIONIS RHENANÆ
PROCURATORE.

DICTA

à PRÆNOBILI DOMINO

JOSEPHO PRUKMILLER

Auftriaco Viennensi, Philosophiæ Studiofo.

LAUDATIO
IN DIVAM
URSULAM

Partheno - Martyri

Oratio

ANTHONISSIMA, ET CELEBRISSIMA
UNIVERSITATE VINDOBURGENSIS

Handwritten: N 12257

In Basilica Divi STEPHANI

Pro Martyris



INCLYTA NATIONE RHENANA
DIVE TUTELARI SUAE

Carissimum Johannem de Perpetuis

DEPERENT

Abbatum Rectorum, & Christianorum Patrum

ANTONIO WILLIAMER

et Societate Jesu

AA. LL. & Philosophiae Doctore, quidemque
Prolegator Ordinario

INCLYTA NATIONIS RHENANAE
PROCURATORE

JOSEPHO DOMINICO

JOSEPHO PRUKMILLER

Philosophiae S. S. Doctore

Vindoburgae, Typis Joannis Josephi Vojtae, Universitatis Typographi



ORATIO.



DE Divæ Partheno - Martyris **URSULÆ** laudibus verba facturo mihi duæ res occurrunt, quarum alteram magnopere mihi gratulor, alteram majorem in modum pertimesco. *Perillustris, Magnifice, Spectabilis, ac Excellentissime Domine Universitatis RECTOR, Admodum Reverende, & Clarissime è Societate JESU Pater Inclytæ Nationis Rhenana Procurator, Inclyta Natio Rhenana, Senatus, Populusque Academicæ.* Tantam fuisse Virginem, ut laudationis argumentum Oratorem deficere nunquam possit, istud quidem vehementer gaudeo: tot res præconiis dignissimas egisse, ut earum mole dicentem obrui necesse sit, istud verò etiam, atque etiam timeo, quando ea fuit rerum ab **URSULA** gestarum claritas, ut, quidquid de iis dixeris, aut nihil omnino, aut certè infra dignitatem aliquid dixisse videaris. Quid enim arduum magis, & difficile accidere Oratori possit, quàm Virgini laudationem instruere, in cujus vita, rebûsque gestis omnem illam gloriam collectam conspicit, quam in aliis propè omnibus non nisi divisam deprehendit? non secùs, ac Duci evenire solet, qui cum tanto hostium numero certamen ineundum sibi videt, ut vires suas ægrè singulis eorum agminibus superandis pares fore cœgnoscat. Sed nempe tentandum est aliquid, &, si minùs pro dignitate re-

censeri possunt singula, universa certè sic exponenda sunt, ut, quæ præ cæteris splendoris, & claritatis aliquid habent, illæ potissimum pro viribus commemorentur. Atque istud quidem acturus tria invenio, quibus summa, & propè omnis Virginis alicujus gloria continetur: Virginitatem servasse integram, defendisse sanguine, atque alias etiam ad idem studium pari fortitudine suscipiendum, tuendumque pertraxisse. Unumquodque quidem horum tantum in se gloriæ continet, ut nemo sit, qui non omnium præconiis dignissimum arbitretur: ubi verò omnia simul collecta reperiuntur, illustriora sunt, quàm ut ab aliquo satis laudari, ac celebrari posse videantur. Quemadmodum enim eò minus gloriæ è rebus bene, ac præclare gestis enascitur, quò minus difficultatis in iis conficiendis superandum fuit, ita tantò plus splendoris hæc res illi, à quo gestæ sunt, adferunt, quantò plus ei laboris obtulère: atque hæc quidem gloria tum fieri solet longè maxima, quando in perficiendis his rebus ea fortitudo elucet, ut pluribus impertita nihil omnino minuatur.

Atque hæc sunt, quæ, quidquid gloriæ in aliis divisa sibi vendicant, id raro exemplo, & admirabili planè felicitate in **URSULA** collecta sibi jure deposcunt; quodsi enim Virginitatis florem integram, atque inviolatum servasse laus est, servavit **URSULA**, si magna ex eodem sanguine defenso existit gloria, defendit **URSULA**, si non vulgarem adfert claritatem alias ad eadem audenda verbis, exemplisque pertraxisse, **URSULA** pertraxit, si tria hæc una in Virgine collecta gloriæ fastigium constituunt, in **URSULA** reperiuntur. Verùm hæc quoque majora sunt, quàm ut una oratione pro dignitate complecti me posse existimem. Summa duntaxat rerum deligenda sunt capita, atque de uno, quod cæteris majus, & illustrius videbitur, pluribus agendum. Sed ipsum hoc difficultatis non parum habet, quando arduum est, Oratori decernere, quænam è prærogativis tanta claritate conspicuis cæteris aut debeat, aut certè possit anteferri. Erunt sanè non pauci, qui primas ex his partes Virginitatis integritati tribuent, erunt, qui martyrium principem locum obtinere judicabunt. Ego tamen sic existimo, atque pace vestra dicam **AA.**, multum quidem ex Virginitate servata gloriæ **URSULAM** accepisse, Martyrium pro illius integritate perpetratum non vulgarem ei laudem conciliasse, è Magisterio tamen, quod in aliis ad
idem

idem studium pari virtute defendendum adducendis exercuit, plurimum illi gloriæ, & splendoris accessisse.

Atque istud ego dictionis meæ argumentum constituo, omnium earum rerum, quæ ab URSULA gestæ sunt, illustrissimum ejus Magisterium fuisse. Quod ut exhibeam, binas in partes orationem omnem dispertior, quarum altera id agam, ut hoc in URSULA Magistræ munus Virginitate servata clarius, altera id agam, ut etiam Martyrii palmâ illustrius fuisse intelligatis. Vos interea de hoc argumento pauca differentem ea, qua soletis, benevolentia tantisper sustinete.

Quantum in Virginitate pretium existeret, is optimè perspectum habuit, qui illius integritatem etiam Angelicæ præferendam existimavit, quando quod Angelis naturæ felicitate concessum est, illud Virgines sua duntaxat virtute consequuntur. Tanta cum suapte natura sit Virginalis integritas, quantam in URSULA fuisse oporteat, nemini ignotum esse potest, utpote quam & generis claritas, & gratiæ, ac naturæ dona, quibus ad miraculum instructa fuit, quàm longissimè supra Virgines alias evexere; tametsi enim mihi planè persuadeam, URSULÆ Virginitatem etiam his adjumentis destitutam satis à semetipsa gloriæ, ac splendoris accepturam fuisse, quando plus ipsa generi suo elacritatis impertita est, quàm ab eo sit adepta, illud tamen certum esse autumo, hæc quoque ad ejus gloriam non parum attulisse, quando virtus oculis nostris tantò clarior apparere solet, quantò sublimiori in loco constitutam intuemur. His si tot illecebras, si formæ præstantiam, si procorum genere, & opibus clarissimorum blanditias ab URSULA Virginitatis amore neglectas adjiciam, quid præter summam de Virgine existimationem enasci possit, perfectò non apparet, ut aded sola URSULÆ Virginitas toties tentata, comperta toties, tantum sibi gloriæ apud omnes vindicet, ut nihil in ea clarius, aut illustrius reperiri posse videatur.

Verùm, ubi rem magis, attentiusque considero, Magistræ in URSULA munus hac Virginitatis gloria longè majus, clariusque deprehendo. Quod nè confidentius à quàm veriùs dictum putetis AA., vobiscum ipsis perpendite, majorémne gloriam adferat suæ duntaxat animæ salutis consulere, eamque omni virtutum genere ornatam æ-

ternæ felicitatis compotem efficere, an aliorum quoque salutem pro statûs nostri ratione omni studio, conatûque promovere? majúsne censendum sit unum aliquem omnibus etiam, quibus potest, meritis conspicuum sempiterna illa gaudia ingredi, an eò secum alios quàm plurimos deducere, qui ex illius institutione salutis suæ initium accipere? Ego certè sic existimo, si summum & Divinorum omnium quodammodo Divinissimum est DEO in procuranda animarum salute operam suam omnem conatûmque locare, huic animarum cœlo afferendarum studio palmam præ Virginitate deberi; sit enim clara, & nullis laudibus satis celebranda Virginitas, sit Angelorum integritate potior, tantò sit illustrior, quantò sublimiorem illam, in qua virtus hæc elucet, ipsa nascendi conditio, & donorum, quibus prædita est, magnitudo effecit: at unius duntaxat Virginis animum ornat, hanc unam DEO conjungit, hujus unius salute continetur: jacent aliæ non viles animæ paria certè, aut etiam majora ausuræ, nisi Duce carerent, cujus monitis, & exemplis ad simile vitæ institutum pertraherentur: ubi contrà vigil proximos juvandi, & ad DEUM adducendi cura intra unius hominis limites nequaquam contenta id agit, ut perspectum à se virtutis pretium quàm plurimi videant, nec antè quiescit, quàm alii quoque in ejus amorem, æstimationemque rapiantur. Quanta non inde gloria, quantus non honor existit, quando jure afferere quis potest, se non modò victoriam à mundo retulisse, sed alios etiam non paucos eam referre docuisse: quanta non Virginis gloria, quando tot ei Virginitatem suam debent, quot ab ea se ad illam servandam, tuendamque institutas confitentur.

Sed fortasse à Virgine, quæ à rerum aliarum sollicitudine libera sibi uni relicta est, Deum magis, vehementiùsque amari existimatis A A., ut quæ precibus nunquam non intenta Deum assidudè cogitet, nil agat, aut loquatur, quàm quo suum in eundem amorem testetur, cujus abstractus à rerum terrenarum curis animus uno in Deo suavissimè conquiescat. At verò non parum hæc vestra vos fallit opinio; si enim, quod res est, accuratiùs expendere lubeat, fateri nos oportebit tum demum nostrum erga Deum amorem perfectissimum effici, cum ad eum amandum quàm plurimos adducit. Sanè si quotidianæ rerum experientiæ aliqua fides habenda est, à natura ipsa ita comparati sumus, ut rerum

magnarum , & illustrium dignitate conspecta nequaquam contenti eandem aliorum quoque plurimorum oculis demirandam objiciamus , atque tum denique rem aliquam amare , & magni facere existimemur , quando , ut eam plures amore , & æstimatione prosequantur , omni studio , conatûque adlaboramus . Et quidnî hac planè ratione noster erga Deum amor tum demum verus , atque integer censendus erit , cùm se ad plurimos in parem illius amorem rapiendos extendet ? Atque istud est , à quo sententiæ meæ plurimum ponderis accedere mihi planè persuadeo , quando extra omnem controversiam est , plus longè ad Dei amorem promovendæ animarum salutis studium , quàm Virginalem integritatem adferre . Quid enim majus , atque ad hanc rem aptius excogitari potest , quàm omnem in eo operam , studiûmque collocare , ut Deum , quem amamus ipsi , quem summa religione colimus , alii quoque quàm plurimi pari cultu , & amore prosequantur , offensuri sæpenumero , nisi amare didicissent ? quodnam clarius nostri erga Deum amoris testimonium , quàm offensiones eidem inferendas ita prohibere , ut amicos , atque amatores habeat , quos Duce , monitisque tam salutaribus destitutos hostes , & perduelles habuisset ? Quantum non vel hoc unum Magisterii dignitatem supra Virginitatis gloriam facit eminere ? Ad hæc si virtutis cujusque magnitudinem non alia regula metiri oportet , quàm quantum non ad Dei modò , sed etiam proximi charitatem conferat , illa profectò cæteris omnibus major , illustriórque censenda est , quæ utramque hanc charitatem præ aliis complecti , & pulcherrimo quodam nexu conjungere reperitur , quod sanè an in aliam æquè , atque hanc plurimorum ad virtutem institutionem cadere possit , magnopere ambigo , quando hæc sola id habet à cæteris diversum , ut alios ad Dei amorem , cultûmque adductos eorum bonorum compotes efficiat , quibus summa , & perpetua hominis post hanc vitam beatitudo continetur .

Denique si Virginalis integritas Virgines Angelis pares , aut etiam superiores efficit , quidnam aliud esse potest , quod Angelos præter naturæ , quam humana altiorem habent , excellentiam Virginibus præstantiores reddit , quàm ipsum hoc hominum ad Dei cognitionem , amorémque adducendorum studium , quod in Angelis summum reperitur ? E quibus omnibus illud denique conficitur , **URSULÆ**

Magisterium, aliarumque Virginum institutionem ejus Virginitati jure anteponi, multoque plus ei gloriae hoc Magistræ munus, quam Virginis integritatem attulisse, quando hac quidem Divino suo Sponso gratissimam se reddidit, illo verò effecit, ut tot aliæ arctissimo eidem nexu conjungerentur, atque vel hac de causa longè gloriosior extitit, ut quæ toties Virginitatem servasse, defendissèque credenda est, quot ad eam servandam, tuendamque Virgines sua institutione pertraxit.

Verùm sit etiam hoc aliarum ad Deum, virtutisque amorem adducendarum studium tanti ponderis, tantæque apud Deum, & homines gloriae, ut Virginitati ipsi præferendum existimetur: tantumne futurum arbitrer, ut etiam Martyrii perpetrati gloria majus, atque illustrius debeat appellari? quid verò clarius, atque omnium præconiis dignius cogitari potest, quam Virginem summis ortam natalibus, in spem regni educatam, inter aulae illecebras, deliciisque enutritam, sceptro, & diademate pensi non habito, neglectis Regii Principis nuptiis, in alias regiones fugâ se subducere, atque Dei solius amore actam in barbarorum hostium enses, & tela properare? quidnam sublimius animo concipi, quam tenellam Virginem, ut Virginitatis integritati consulat, vitæ ipsius rationem non habere, atque, quod domi à suis obtinere non potest, ut illibatae sibi esse liceat, in alias terras sanguinis sui pretio emptum abire? hæcne etiam propè inaudita Virginis fortitudine superiorem Magistræ gloriam fas sit existimare? talisne victoria tanta cum difficultate conjuncta, tanta virtute, atque in tot hominum conspectu relata privatae aliarum Virginum institutioni finè labore, finè difficultate susceptæ de principatu concedat?

Ita verò AA., hæc quoque Virginis magnanimitas tanta non est, ut cum exercito ab ea Magistræ munere in contentionem possit ulla ratione venire; utrum enim horum majus, ac præstantius vosmetipsi arbitramini: mortem pro Christo, & Virginitate tuenda summa etiam, qua fieri potest, animi constantia subiisse? an ad eandem alacri, magnoque animo subeundam aliis quam plurimis auctorem extitisse? quodnam majus sinceri erga DEUM, ardentisque amoris videtur testimonium? suumne duntaxat sanguinem, & vitam pro illius honore immolare? an efficere,
ut

ut tot præterea aliæ idem exemplum secutæ se se ultro devoveant Divino honori suo è sanguine holocaustum oblaturæ? Ego certè, si rectè existimo, unumquemque vestrùm ita comparatum esse autumo, ut in eandem mecum sententiam manibus, pedibúsque concedat, atque postremum primo, quàm longissimè præferendum arbitretur, quando hac ratione non modò fit, ut plures suum erga Deum amorem sanguine testentur, sed etiam nostra in proximum charitas eundem tam illustri palmæ compotem efficiendo magis declaretur. Quod si ita est, cui jam dubium esse potest AA., quin Magistræ in URSULA munus Martyrio ab ea perpetrato præstare censendum sit, quando illud ipsa tantum laude, fructúque exercuit, ut suo duntaxat sanguine pro Divina gloria, & Virginitatis integritate profuso nequaquam contenta verbis, & adhortationibus suis effecerit, ut undecim præterea Virginum lectissimarum milliaribus incensa studiis vitam suam, sanguinèmq; immolarent. Quis enim laureato huic Virginum agmini à gentiliis sacris ad Christum traducto veræ fidei lumen accendit? quoniam authore illibatæ hæ Agni cœlestis Sponsæ ad id adductæ sunt, ut mundi blanditiis nullo loco habitis Virginitatem suam uni DEO sacram vellent? quisnam fortissimas has pro Christo, suæque integritate pugiles tanta virtute, animique constantia Martyrium perpetrare docuit? cujus monitis, atque institutione laureas suas, eamque, quam in cœlo consecutæ sunt, gloriam in acceptis referunt? Sanè, si, quod res est, fateri lubeat, omnis hæc gloria solius URSULÆ verbis, præceptisque debetur. URSULA ab idolorum cultu abstractas Christi fidem agnoscere, & amplecti docuit, URSULA ad Virginitatem servandam verbis, exemplisque instituit, ad mortem pro Christo tanta fortitudine subeundam URSULA incitavit.

Videmini mihi AA. tacito jam animorum consensu URSULÆ plaudere, atque hanc illi Magistræ lauream Virginitatis, & Martyrii gloriâ longè illustriorem intimo corde gratulari: & hoc quidem jure meritissimo facitis, quando tanta Virginis gloria omnium sibi plausus, & gratulationes meritò deposcit. Sed nondum rem omnem intellexistis: aliud argumentum superest, quod, quoniam ad stabilendam sententiæ meæ veritatem plurimum habet ponderis, à me prætermitti minimè oportet. Intellegitis ex eo

multò etiam, quàm ex aliis, clariùs quantum aliarum ad Christi sacra, ad Virginitatis amorem, ad fundendum pro Christo sanguinem adductarum gloria præ Martyrii palma in **URSULA** obtineat dignitatis. Considerate tantisper cum animis vestris, quantum in hac plurimum ad fidem, virtutemque institutione gloriæ reperiri, quantò eam Martyrio potiolem haberi sit necesse, quando Viri non vulgari sanctitate conspicui, ut hoc munere **DEO** tam grato, tam sibimet ipsis glorioso diutiùs fungi possent, Martyrii palmam, cujus tamen summa cupiditate flagrabant, quæque in eorum manibus jam esse putabatur, postponendam existimârunt. Quidenim aliud causæ fuisse arbitramini, ut gentium Apostolus ad necem Damasci quæsitus se se persecutorum oculis subduceret, quin intempesta etiam nocte ex urbis illius mœnibus fune demissus elaberetur? quanam alia re fortissimum Alexandrinæ Ecclesiæ caput Athanasium ad id adductum autumatis, ut ad effugendas Arii sectatorum manus complures menses in specubus, cryptisque exigeret, quin Alexandria etiam relicta, ut tutiùs lateret, in alias terras abiret? quidnam alios non paucos non heroica virtute minus, quàm vitæ sanctimonia præditos Ecclesiarum Præsules adegit, ut, ubi persecutiones adversus fideles à Tyrannis suscitari intellexerant, fugam ipsi arriperent? nisi fateri lubeat, ea solùm de causa hos vitæ tum suæ fugiendo consuluisse, ut plures verbis, atque institutione sua ad Christi sacra traducerent, pluribus doctrina, & exemplis prodesse, plures denique ad virtutem amandam, exercendamque permoverent, quod utique & sibi multò gloriosius, & ad comprobandum suum erga **DEUM** amorem aptius, clariùsque fore non ignorabant. Quis enim persuadere sibi possit, aut Paulum, qui nullis se, quibuscunque demum adversis casibus à **DEI** amore separatum iri professus est, tum concidisse animis, mortisque metu à Martyrio absterritum fugiendi consilium inivisse, aut Athanasium publico se abstinuisse propterea, quòd vitæ hujus captus dulcedine eam sibi adimi ægrè sustineret? quis animum inducere queat, ut tot fortissimos Athletas, qui ad supplicia rapti Martyrium summa animi alacritate, constantiâque perpetrârunt, ea de causa latebris undique quæsitis aliquamdiu persecutorum manus effugisse existimet, quòd nondum satis animi, viriùmque ad mortem pro Christo subeundam accepissent? Noverant
nem-

nempe Viri sanctissimi aliorum in fide, omnique virtutum genere institutionem Martyrio esse longè illustriorem: noverant plus DEO gloriæ ex aliis ad ipsius cognitionem adductis, quàm ex morte pro illius nomine summa etiam animi fortitudine exanthlata accedere: noverant tum demum victimas se DEO gratissimas, mortemque suam in ejusdem oculis pretiosiores fore, cum plurimis ad cælum præmissis, plurimis ad veræ fidei lumen aspiciendum perductis, atque ad virtutem, omnemque vitæ probitatem institutis Nominis illius gloriam longè, latèque protulissent. Quæ cum ita se habeant, satis jam vobis apparere existimo, laureolam, quam URSULA aliarum Virginum institutione consecuta est, non modò Virginitatis ab ea servatæ splendori, verùm etiam relatæ Martyrii palmæ optimo jure anteponi.

Quid jam superest, nisi ut hanc URSULÆ gloriam summa, qua par est observantia, venerationeque gratulemur? ut quæ singulari, & paucis concessio Divini Numinis beneficio triplicem Virginis, Martyris, ac Magistræ lauream consecuta Christianum orbem omnem nominis sui, & gestorum claritate complevit. Quidnî magnam illam, & illustrem fuisse oportet, in qua aliquid Virginitatis etiam, & Martyrii gloria tanti ab omnibus semper æstimata majus licet admirari. Felicem te, atque fortunatam oppidò Inclyta Natio Rhenana! quæ in URSULÆ tutela esse ejusque cultum, & gloriam apud omnes gentes promoveri voluisti: est, quodd hac Patrona, & cive glorieris, quam admiranda Numinis Providentia delegit, ut una in Virgine non minùs raro exemplo, quàm singulari beneficio omnes eas dotes collectas exhiberet, quas divisas in aliis nunquam satis, ac pro dignitate admiramur: vidisti, atque tuo in gremio complexa es URSULAM Virginitate tumulo illata claram, Martyrio ad Coloniam Ubiorum perpetrato gloriosam, tot aliarum Virginum ad Christi sacra, ad Virginitatis amorem, ad Martyrii palmam sua institutione perductarum Magisterio longè illustrissimam, & innumeris aliis (propè dixerim) semet ipsa superiorem.

D I X I.

namque Viri sanctissimi illorum in fide, omnique virtutum
 genere institutionem Martyrio esse longe illustriorem: no-
 verunt plus D. O. gloriae ex illis ad ipsius cognitionem
 adductis, quam ex morte pro illis homines tantis etiam
 animi fortitudinis exemplis accedere: non erant tunc demum
 victimas se D. O. gratissimas, mortemque suam in eius-
 dem oculis preciosiorum fore, cum plures ad certum pro-
 missis, plurimis ad verum sedet tamen aliquid admodum de-
 cis, atque ad virtutem, omnemque vitam probitatem in-
 titur. Nominis illius gloriam longe, lacrimis protulissent.
 Quae cum ita se habent, factis iam vobis apparet esse
 me, laudatorem, quam URSSII A. nuntium / vestrum insti-
 tutione contentum esse, non modo virginibus ad caeteras
 ex se habent, verum etiam relictis Martyrii palmis operum
 iure superant.

Quid iam superest, nisi et hanc URSSII F. gloriam
 sumas, quae per est observanda, venerationeque gra-
 tumus in qua ingulsi, & paucis concessis Divini Nuntius
 benedictio tribuitur virginis, Martyris, ac Martyris lau-
 ream consecuta Christianorum omnium curam nominis sui,
 & postquam claritate complevit. Quibus magnum illam
 & illustrem inde operis, in quo aliquid virginibus et
 tam, & Martyrii gloria tantis ab omnibus temporibus
 et laus hoc adiungit. Sicut et, atque factum est quod
 quibus hactenus, & URSSII A. tunc esse
 etiam eorum, & gloriae quod omnes gentes promove-
 ri possunt, quod hoc factum, & esse gloriosum, quam
 admiranda, & nominis reverentia delat, ut una in
 ne non minus toto exemplo, quae hactenus depreciam-
 nes esse dotes, collectas exhibent, quae dicitur in eius mun-
 quam factis, ac pro dignitate adstant: videlicet, atque no-
 in gentis caritate es URSSII A. M. Virginitate templo H.
 late clarum, Martyrio ad Colentiam Urbem perpetuo
 gloriam, tot aliam virginum ad Christi facta, ad vi-
 ginitas auctori, ad Martyrii primam sui institutione
 perducatur Magisterio longe illustriorem, & immo
 mors eius (prope diximus) semetipsum
 laporem.

D I X I







